

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Bottman, Antoine - candidat / Adet,  
Pierre-Auguste - président. - An in  
Gonorrhoeâ virulentâ Aqua simplex ?**

**1787.**

***Paris : Typis Quillau,  
Universitatis & Facultatis  
Medicinae Typographi  
Cote : ms 2337a n°153***

100

DEO OPTIMO MAX.  
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ ET S. LUCEÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis sextâ mensis*

*Decembris, anno Domini M. DCC. LXXXVII.*

M. PETRO-AUGUSTINO ADET, Doctore Medico, Præfide.

*An in Gonorrhæâ virulentâ Aqua simplex?*

I.

**P**ROUT, in variis disciplinis, reconditorum crevit intelligentia, ita simplicitatis viciniore exsurrexerunt recenter acquisitæ cognitiones; quo factum est, ut, in veritate detegendâ, velum plerumque procißum fuerit in gratiam eorum, qui soli, devictis studiorum ærumbis, hanc favorem meruerunt. Materia medica, cujus doctrina in morbis curandis adeò prodest, suos, æquè ac cœteræ disciplinæ, habuit progressus, sed concitatissimos. Naturæ fetus innumerabilis, quorum materia medica series est indicativa, ut ita dicam, millies inter se comparati atque diversim collati, millies observatione factâ, demonstrarunt, substantiam unam, licet maximè parabilem, plus cœteris sapitis valere, solamque aliis nonnunquam esse præponendam. Attamen, palmâ datâ cuilibet substantiæ, hanc nolimus designare tanquam absolutorium mali remedium, quod ne Deus siverit; hanc verò vocem prorsùs respuimus, tanquam vacuam, & in Medicinâ levis armaturæ. In stadium materiæ medicæ nullo vestigio progressuri fuisset, si, formulis numero incredibili medicamentorum horrentibus, enixè sterissemus. Illud constat unum, quod imitati naturam, præsertim observando, & quamlibet substantiam circumspiciendo, tandem versùs simplicitatem aliquo passu perrexerimus.

Itaque, in diversis à Medicinâ clinicâ propositis exemplis, adducemus in medium Gonorrhæam virulentam, cujus in origine, remediis etiam numerosissimis, pervicaciter reluctabatur curatio; hanc hodiè, ipsissimæ Aquæ simplici, debemus,

II.

**G**ONORRHÆA is morbus est, qui urethræ canalem adurit. Hæc affectio comites habet inflammationem, tensionem plus minus-ve spectabilem, dolorem acrem in primis diebus & acerbum, denique effluvium. Omnia

inquisitione circâ naturam causarum remotarum & prædisponentium, immorabimur tantum causâ proximâ: illa enim est admotio simplex humoris virulenti ad membranam internam canalis, quod non aliter fit nisi commercio impuro cum personâ vitiatâ. Ea est stimuli virulenti actio, ut primùm levem inflammationem procreet, quæ, titillatione quâdam dolorem præeunte, prius sentitur quàm appareat effluvium; mox, crescente inflammatione, intervenit tensio; tuncque sero abundans ingurgitato, effluvium, sed sensu ferè attingibile, sese prorsus declarat. si suat hujusce morbi effectus generales, qui, pro ratione circumstantiarum particularium, variè modificantur. Hic sermo non erit de Gonorrhæâ, quam comitantur symptomata luis venereæ universalis, à multis Gonorrhæâ virulentâ consecutivâ cognominatâ; operam duntaxat ponemus in Gonorrhæâ virulentâ simplici, quam definimus infarctum, membranæ internæ urethræ; infarctum, inquam, qui non differt ab illo membranæ pituitariæ in morbo vulgò dicto *Cerebri distillatio rheumatica*, gallicè *Rhume de Cerveau*, & membranæ internæ pulmonum, in thoracis distillatione rheumaticâ, *Rhume de Poitrine*. Hunc morbum igitur cognominamus *Partium genitalium Rheuma*. Enim verò, titillatâ membranâ pituitariâ, humor inde manans, serosus primùm est, subindè abundans, tum spissatus, virefcens, & nonnunquam adedè putidus, ut corrosivus evadat. Idem contingit relativè ad humorem ex urethrâ diffluentem; primo, secundo, tertio-ve die, limpidus & pellucidus exsudat, dùm subsistit ille pruritus, doloris motor subsequens; deindè densatur humor, & viridem acquirit colorem, vel subflavum. Id solùm discriminis hunc inter duplicem affectum existit, quod stimulus, in alter-utro, propriâ suâ naturâ discrepet. Ausimabant veteres, effluviî Gonorrhæalis materiam gigni ex ulceribus interiora canalibus convalescentibus; quæ opinio ad usque nostrâ tempora invaluit, sed nunc feliciter elevata, frequentissimis & diversis dissectionibus cadaverum, morbo dicto, defunctorum. Sola inflammatio membranæ internæ, stimulo venereo procreata, Gonorrhæam virulentam simplicem constituit. Tunc præstat effluviis humoris, qui nimium excedens, & diutius subsidens ulcera generare potest; nec mirum quod plurimi in hoc erraverint Medici.

## I I I.

**A**QUA à Medicis præscripta, fluidum illud sanitati conservandæ tam necessarium, etiam cum ea morbo vincitur, utilissima quoque meritò reperta est. Hæc substantia, splendidissimis post experimentis *Cl. Viri D. de Lavoisier*, (ut idioma ingeniosum usurpem illustrissimorum *DD. Morveau*, ipsius etiam *de Lavoisier*, *Bertholet* & *Fourcroy*) conflata *hydrogenicis* & *oxygenicis*, per totum orbem latè perfluit & circumfluit; illa vitam fovet, eique suâ naturâ prodest quam maximè, propter vitalem aërem quem atmospheræ subministrat, & respirationi idoneam accomodat. *gazum azoticum nudum*, id est, spoliatum spiritu vitali, quocum contactu gaudebat, neque respirationi, neque combustioni inservire potest; *oxygenium purum* animalibus lethale foret, quòd vitam eis, licet gratiorem, compendiosorem efficeret.

Aquæ diversas tribuimus virtutes medicinales è diversis statibus ejus desumptas. Hic tantum intelligatur Aqua sana & verberata, in quâ sapo dissolvitur, quæque legumina, macerat, emollit & coquit.

Aqua, in statu glaciei, tonica est & astringens; spectata ut fluidum frigidum, diluens est & corroborativa; fluidum calidum, sit emetica, & relaxans; in

vaporem resoluta, emolliens, temperans & leniens. Quæ singulæ proprietates faciunt, ut, tum internè, tum externè, usus ejus adhibeatur.

## I V.

**M**ISSA longâ enumeratione mediorum vulgò adhibitorum, cum expugnandus est morbus de quo hîc tractamus, præcipua tantum in tres classes dividemus.

1<sup>o</sup>. In primum ordinem adducemus remedia quibus morbi spatium protrahitur, necdum sint salutaria cum morbum multo longiorem efficient quam si naturæ curis derelictus fuisset. Hæc inter, pono Hydrargica, à multis veteratoribus adhibita, sive ad interiora, sive ad exteriora. Sunt enim, agente mercurio, præsertim in systema lymphaticum, fit abundantius effluvium.

Camphora, opium, & ejusdem naturæ sexcenta alia, in Gonorrhæâ virulentâ prodesse nequeunt, in quâ plerumque sola sufficit inflammatio, ut liberè defluat effluvi materies, quæ non sine periculo, ferius arceretur. Sal nitri non debet præscribi; cuius effectus nullus fit, si parvâ dosi administretur; si magnâ, tunc purgat, nec explet munus præscriptionis.

2<sup>o</sup>. In secunda classe continentur media quæ sunt periculosa. Ex hoc numero sunt astringentia quæ ocyùs effluvium exhibent, id est, antequàm humor virulentis particulis expurgatus fuerit; undè fit ut resorbeatur in massam fluidorum universalem, cui virulentiam communicat, & lue venereâ totum systema inficit. Quare cum astringentibus cuius-ve generis, rejiciendæ sunt Aquæ minerales vulgò dictæ *Eaux de Passy*. Quid enim injectionibus stipticis perniciosius? Uno verbo, quælibet injectio semper proscribenda.

3<sup>o</sup>. Ad tertiam classem revocamus diluentia & refrigerantia, quorum virtutes ad aquam pertinent quâ saturantur. Aqua sola potest ea supplere.

## V.

**P**RÆLATIS facibus ratiocinatione & experientiâ tutus incedit Medicus Clinicus. Sed theoria sibi soli derelicta, fit invalida: quâ deficiente vicissim experientia sola redolet Empiricem; ita ut rectius dixerimus, superesse illud phantasma, cui, nostris adhuc diebus, infelicissimè erigantur altaria.

Gonorrhæa virulenta, ut jam asseruimus, est localis affectus inflammatorius qui ex se sæpissimè & absque auxilio sanatur, (ut plures affirmant celeberrimi Auctores) scilicet quotiescumque diætâ constanti, seu laudabili victûs ratione, coercetur diathesis phlogistica. At verò si debilior sit natura, quæritur quænam sit indicatio præsens? Ea simplicissima est, utpotè exigit remedium sibi affine & conveniens, æquè simplex ac ipsa indicatio, medium reverà commune, nec minùs parabile in urceolo pauperis, quàm in vasis crystallinis divitum: aquam ipsam dixerim, variis modis administratam. Indicatio præbet expugnandam inflammationem localem & levem, quæ effectus est causæ stimulantis. Causa verò est humor membranam internam urethræ stimulans, qui, nisi caveatur, fiet irritans & corrodens; ope aquæ facile retunduntur molecule humoris; aqua eas diluit, dissolvit, ab invicem separat, debilitat vires cohesionis, arcet contactum immediatum, denique actionem in partes contactas irritam efficit. Tunc cessat irritari membrana interna; & tandem sedatur, minuitur, & evanescit inflammatio; nec si prorsus desinat effluvium, fit tam leve ut brevi finem optatum consequatur.

Ponatur aliquis temperamento phlegmatico donatus, cujus fibra sit remissa. Si laborat morbo de quo differimus, tunc lentius deprehendentur symptomata, effluvia primorum dierum subito intermittetur, propter mediocritatem inflammationis necessariæ. Hoc in casu medium haurimus in aquâ, sub formâ glaciei intus, parvâ dosi sumptâ, quæ tunc virtute tonicâ fruitur. In temperamento verò inflammationi obnoxius, maximi est momenti Aqua nec frigida nec calida; & in gravi inflammatione, lotiones aquæ calidæ, quas alternabunt fumigationes in partes sexuales; sunt, ausim dicere, remedium præsentissimum. Plurima exempla aquæ in hoc morbo adhibitæ, sunt nostræ sanandi rationis fundamenta.

Jamjam se attollunt in hanc doctrinam permultæ objectiones, quibus, omisâ prolixiori enarratione, fidenter respondebimus: non hodiè primùm experientiam sæpius experientiâ victam fuisse.

Hæc omnia adducunt nos ut rectè concludamus, aquâ solâ sanari Gonorrhæam virulentam.

*Ergò in Gonorrhæâ virulentâ Aqua simplex.*

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- |                                                                                         |                                                                                                                                           |                                                                                                                                                                                                                                |
|-----------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <i>M. Joannes-Franciscus MARI-<br/>NIER, Chirurgiæ latino idio-<br/>mate Professor.</i> | <i>M. Augustinus ROUSSEL DE<br/>VAUZESME, Nosodochii<br/>Stampensii nuper Medicus.</i>                                                    | <i>M. Josephus PHILIP, antiquus<br/>Facultatis Decanus.</i>                                                                                                                                                                    |
| <i>M. Ludov.-Carolus HALLOT,</i>                                                        | <i>M. Joannes-Baptista-Claudius<br/>JEANNET DES LONGROIS.</i>                                                                             | <i>M. Joannes D'ARCET, Chemicus<br/>en Sal. Facultate, &amp; in Col-<br/>legio Regio Professor, Regia<br/>Scientiarum Parisiensis &amp; Re-<br/>galis Medicinæ Matritensis &amp;<br/>Vasconensis Academiaram So-<br/>cius.</i> |
| <i>M. Joannes-Jacobus LE ROUX<br/>DES TILLETS.</i>                                      | <i>M. Franciscus-Nicolaus SI-<br/>MONNET, in Senatu Patro-<br/>nus, Scholorum Professor in<br/>annis 17<sup>o</sup> 8-99, designatus.</i> | <i>M. Franciscus THIÉRY DE<br/>BUSSY, Consultarius Medicus<br/>Regis ordinarius in supremo<br/>Senatu Parisiensis.</i>                                                                                                         |

Proponebat Parisiis, ANTONIUS BOTTMAN, Warfaviæ, Consiliarius  
Aulicus S. M. Regis Poloniæ, Doctor Rhemus, nec-non Saluberrimæ Facul-  
tatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author. A. R. S. H. 1787.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1787.

